DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

JECORIS INFLAMMATIONE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

JECORIS INFLAMMATIONE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS H. PEAT,

Anglus.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

AVUNCULO SUO

EDVARDO KENTISH M. D.

VELUTI SUMMÆ OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

CONSECRAT

GULIELMUS H. PEAT.

JOANNI FLETCHER M. D.

OPTIMO ATQUE HUMANISSIMO,

CUI, NON MODO QUICQUID BONI IN HOC SCRIPTO EST,

VERUM ETIAM IPSAM SCRIBENDI OCCASIONEM DEBET,

IDEM OFFERT

AMICUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

JECORIS INFLAMMATIONE.

GULIELMO HOLBROOK PEAT Auctore.

HUIC morbo medici omnium seculorum studium suum operamque dederunt. Inter veteres HIPPOCRATES, ARETÆUS, TRALLIANUS, aliique, de hoc quodammodo egerunt; inter recentiores WINSLOW, HEBERDEN, CULLEN, et alii satis clari viri; variasque sententias de propria sede morbi tenuerunt. Etenim a WINSLOW morbus ex generali inflammatione ramorum arteriæ hepaticæ proficisci putabatur; a CULLEN autem extremæ arteriæ solummodo affici existimabantur; et ab HEBERDEN, denique, ipsum jecur (unde, uti arbi-

tror, intelligebat substantiam ejus parenchymatosam) primaria sedes morbi nunquam esse credebatur. Alii, huic sententiæ faventes, arbitrantur inflammationem tunicam membranosam jecoris solum afficere; negantque substantiam ejus unquam inflammari. Alienum esset hoc loco has diversas opiniones curiose prosequi: quantum vero colligere possum, CULLEN maxime assentior; cujus quidem sententia conjecturas HEBERDEN quoque et WINSLOW quodammodo comprehendit.

Si enim extremi rami hepaticæ arteriæ primum afficiuntur, verisimile est fore, ut, ubi intenditur inflammatio, totam arteriam occupet, atque ita, ex ipsa vicinitate, ipsam substantiam parenchymatosam quoque. Quinetiam hanc proximam partem interdum affici manifestum esse videtur, ex rotundis illis albidisque tuberculis, quæ tam sæpe in jecinore eorum qui mortui sunt ex ejus inflammatione reperiuntur; quæ tubercula, mea quidem sententia, ex longa inflammatione, non modo arteriæ hepaticæ, verum etiam substantiæ parenchymatosæ, semper nascuntur. Hæc tamen ita dico, ut non negem tunicam membranosam jecinoris sæpe primum affici; id quod corporum sectiones satis superque ostenderunt.

Solent quidem scriptores hunc morbum in Acutum Diuturnumque discernere : quæ vero subjiciam ad priorem potius, atque adeo pene solum, pertinebunt.

DE JECORIS INFLAMMATIONIS SIGNIS.

Cognoscitur hic morbus his potissimum indiciis : febre; tensione doloreque dextri hypochondrii, modo pungentibus, tanquam in pleuritide, modo obtusis; dolore intento ad claviculam summumque humerum dextrum; cubandi in sinistrum latus difficultate; difficili spiritu; arida tussicula; vomitu atque singultu. Talis, igitur, a Cullen definitio morbi est. Sauvage aliique adjecerunt flavedinem oculorum atque faciei, cum urina seroque sanguinis felle tinctis, et interdum super cutem eruptionibus. Hæc tamen a Cullen ideo omittuntur, quia putat hæc indicia esse interclusorum ductuum fellis, magisque effectus inflammationis quam signa esse; atque ita raro reperiuntur in simplicis inflammationis manifestissimis exemplis.

Jecoris autem inflammatio, tanquam cæteri

morbi febriles, ab horroribus fere incipit; quos brevi subsequitur hebes dolor dextri lateris, protinus subter costas nothas; qui dolor modo plures horas urget, modo quiescit, nisi tum cum homo in adversum latus cubat. Quæ vero pars jecinoris afficiatur, judicamus maxime ex hoc dolore, aut adaucto aut levato certis posituris corporis. Quod si, igitur, is plurimum intenditur, ubi homo in sinistrum latus decumbit, (id quod fere accidit), colligimus inflammationem tunicam jecoris maxime infestare. Rursus, si dolor minuitur in ventrem cubando, reditque vehementer ubi homo in dorsum decumbit, fas est putare cavam partem jecinoris potissimum affici. Denique, si neutra ex his posituris dolor lenitur, magis vero tolerabilis est, ubi homo sedet, scire licet totum viscus morbo implicari, maximeque structuram ejus interiorem. In hoc morbo alvus fere tarda est, quodque dejicitur plerumque obscurum aut cinereum est, ostenditque deficiens fel; uti accidit siquando ductus communis choledocus intercluditur. Ubi tale impedimentum lente accedit, non raro fit ut tunica conjunctiva oculorum aspectum flavum sanguineumque ostendat; ad hoc, vultus subtristis est, repræsentatque quodammodo faciem

Hippocraticam. Hoc proximum signum quidem longam inflammationem jecinoris præcipue, neque tamen proprie, ostendit, siquidem fere semper animadvertitur, quoties spiritus multum excitatur, simulque descensus septi transversi acutum dolorem movet. Quoniam vero morbus alicujus partis functiones omnium vicinarum aliquatenus semper impedit, jecoris inflammatio multa mala aliarum partium interdum concitat; quæ debemus summa opera considerare, ne quando fallamur putando has partes per se et proprie laborare. Igitur, cæteris indiciis jecoris inflammati accedit tussis, spiritusque difficilis, quorum uterque subito plenoque spiritu adaugetur; quod quidem difficile explicatu non est: ubi enim spiritus subito trahitur, septum transversum deprimitur jecurque comprimit, unde acutus dolor est; quem ut arceat, æger spiritum crebro subitoque accipit, quod ubi sæpe fit, membrana mucosa bronchorum valde irritatur, aridaque tussis subsequitur. Diximus dolorem plerumque esse humeri dextri; atque hoc tanquam proprium signum morbi a quibusdam accipitur. Hic tamen perpetuus non est; atque ita multos peritos medicos reperimus, qui nolunt hoc signum proprium

morbo esse; etsi explicatio ejus, ubi accidit, non est improbabilis. Quod si nimium fel secretum fuit, vomitus non raro accidit, quia tam celeriter fel effunditur, ut in ventriculum fluat, nisi ubi deorsum spectat, cum crebras dejectiones movet. Interdum singultus accidit; qui concitari potest aut felle in ventriculum effuso, aut ex ipsa vicinitate jecinoris septique transversi. Pulsus autem in hoc morbo plenus durusque est, et si inflammatio sita est prope partem concavam jecinoris, non raro accidit ut intermittens sit, id quod videtur explicari posse ex compressione venæ cavæ, per tumidum jecur, ibi ubi thoracem ingreditur. His signis Dr Johnson in optimo suo libro de Morbis Jecinoris duo alia adjecit. Neque enim (ut ille inquit) raro accidit, etsi non enumeratur plerisque auctoribus inter hujus morbi mala, ut sit, non modo in acuta, sed etiam in longa specie ejus, adurens quidam dolor in reddenda urina, quem idem Dr Johnson commixto cum ea felli tribuit; conjectura quidem haud absimilis, si consideramus quam celeriter iste humor in corpus absorbeatur, siquando liberum ejus iter ad intestina impeditur. Alterum autem signum quod memorat Johnson ad mentem pertinet, quæ, ut

ille ait, in utraque specie ejus mali, solet magis purturbari quam in ulla alia inflammatione, nisi cerebri, cui corpus humanum obnoxium est. Sequentia verba adjicit : "This probably results, partly from the sympathy which we observe between the head and liver, but principally from the suspension or derangement of the biliary secretion, which exerts a peculiar influence over the mental functions." Hujus rei satis notabile exemplum reperimus in libro illo, "The Medico-chirurgical Quarterly Review, June 1822;" sub quo vehemens tristitia acutam inflammationem jecinoris concitavit, quæ, post breve spatium, hominem interemit. Hoc, si nihil aliud, illud certe ostendit, summum commercium inter jecur mentemque interesse.

DE INFLAMMATIONIS JECORIS TERMINATIONIBUS.

TANQUAM cæteri morbi inflammatorii, hic quoque finiri potest aut resolutione, ut dicitur, aut adhæsione, suppurationeve et abscessu, qui abscessus potest aut intus rumpi, aut extrorsum

spectare. Dicitur quoque interdum terminari aut scirrho, aut gangræna; verum hoc nimis raro accidit, quam ut inter solitas terminationes morbi enumeretur. Quod si malum resolutione finiturum est, signa ejus gradatim imminuuntur. Pulsus mollior fit, febris lenitur, dejectionesque minus duræ sunt, coloremque cinereum amittunt; atque hoc quidem, ut quod ostendat fel solito modo excerni, optimum signum est. Interdum, ubi morbus ex calculo ortus est, descensus ejus per intestina movet copiosum fluxum dejectionum biliosarum; quæ nimis subito sisti non debent, sed potius emollientibus potionibus adjuvari.

Altera terminatio est adhæsio, quæ hanc inflammationem satis sæpe sequitur, quæque tantillum incommodum movere solet, ut vix ullis propriis signis cognoscatur. Quod si vero homo ex intemperantia aliave ulla causa morbo denuo correptus fuerit, periculum suppurationis majus fortasse erit, vel inflammatio peritonæi, inflammationi jecinoris potest accedere. Fortasse, solum indicium ex quo hanc terminationem suspicari possumus, illud est, quod, ubi homo plenum spiritum trahit, aliove ullo modo septi transversi ac-

tionem adauget, aliquid doloris tensionisque in parte sentit.

At suppurationis insequentia testimonia sunt. Inflammatio lente decedit, febrisque naturam intermittentis potius quam ardentis sibi assumit. Sequuntur horrores; quibus succedit suffusa facies cum sensu aucti ponderis vel magnitudinis partis affectæ. Dolor multum minuitur vel omnino desinit, aut, si perstat, certe minus acutus fit. Propria sedes autem abscessus non sine difficultate cognoscitur; etsi, quoniam plurimum pertinet ad rem, debemus omnibus modis uti ad eam deprehendendam. Atque si coitus materiæ est ad partem concavam jecinoris, prope imam oram ejus, interdum procedit ultra hanc oram; quod ubi accidit, possumus admoto digito sedem ejus sentire, atque adeo, si magis processerit, ipsum circumfluentem humorem. Si rursus superior gibbaque pars jecinoris abscesserit, aliquando evenit, ut septum transversum pleuraque costalis malo afficiatur; quinetiam dicitur abscessus interdum per ipsa interstitia costarum protrudi, atque ita ibi quoque admota manu sentiri posse. Nonnunquam ima pars dextri pulmonis abscessu afficitur; quod ubi evenit, pus sæpe tussiendo ejicitur.

Longe autem sæpius idem pus inter pleuram costalem pleuramque pulmonalem colligitur, isque morbus fit quem Empyema vocare solemus. Denique interdum accidit ut abscessus aut ventriculo aut intestinis adhæreat; atque ita pus aut protinus evomitur, aut cum dejectionibus simul descendit.

DE MODO DIGNOSCENDI JECINORIS INFLAMMATIONEM.

Jecoris inflammatio modo per se oritur, modo cum aliis morbis, uti pulmonis inflammatione vel ventriculi, conjungitur; quodque pejus est, interdum per errorem alteruter ex his morbis esse putatur, atque ita parum commode curatur. A priori autem potest discerni per dolorem, qui in Hepatitide ad sinistrum humerum extenditur, quique, si spiritus lente ducitur, non multum adaugetur; idem vero in pulmonis inflammatione hac actione plurimum intenditur. Præterea, in Hepatitide molestia multum augetur si compressio in oras costarum notharum a dextro latere admovetur; quod non pariter in pulmonis inflammatione

accidit. Denique tussis, quæ in posteriore morbo eodem tempore quo dolor evenit, in Hepatitide dolorem subsequitur; atque ita eadem tussis in hoc morbo brevis et sicca est, in illo autem sputum movet.

At Hepatitis ab inflammatione ventriculi maxime dignoscitur, ideo quia irritabilitas sensibilitasque, quæ reddunt posteriorem morbum tam molestum tamque periculosum, in priore longe minores sunt. Quo autem facilius inter hos duos morbos discernamus, necessarium est ut consideremus quæ sit natura febris quæ utrumque comitatur; ut quæ in Gastritide typhoidea esse dicatur, pulsusque creber durusque et exiguus sit, in Hepatitide autem febris ardens esse solet, pulsusque plenus et validus est. Præterea sedes doloris plurimum confert ad inflammationem jecoris a ventriculi discernendam; atque adeo quod homo in priore raro potest commode cubare nisi in corruptum latus. Supersunt plurima alia signa minoris momenti, unde possumus Hepatitidem, non modo a ventriculi inflammatione, sed ab aliis omnibus malis, discernere; verum hæc curiosius memorare et longum est et parum necessarium, ut quæ ex præcedente historia morbi colligi facile possint.

DE PRÆSAGIO IN JECORIS INFLAMMATIONE.

In hoc morbo, tanquam in cæteris pene omnibus, certum præsagium dare difficillimum est; colligendumque id est, maxima ex parte, ex levitate gravitateve ipsius morbi. Plerumque vero, si medicus mature in morbo accedit, isque non gravissimus est, præsagium felix esse potest. Sin vero morbus jam vetustus factus fuerit, remediaque sero admota sint, solet lente procedere donec jecur plurimum vitiatur, idque maxime si aut cum struma aut cum aliis morbis internis conjungitur. Quod si igitur morbus neque vehemens est, et remediis cedit, judicamus fore (id quod optimum est) ut in resolutione finiatur; rursus si aut gravior est, aut diutius perstat, idque ita ut solitis remediis non leniatur, existimamus aut suppurationem futuram esse, aut aliquam aliam ex minus felicibus terminationibus, de quibus loco suo jam dixi.

DE JECORIS INFLAMMATIONIS CAUSIS.

Divisio causarum omnium morborum in Prædisponentes, excitantesque esse consuevit; de prioribus igitur primum loquor. Hic morbus raro ante adultam ætatem accidit; quo tempore plures mutationes in corpore fiunt, quibus magis obnoxium redditur omnibus malis quæ ex sanguinis congestione proficiscuntur. Pari ratione explicatur cur viri sæpius quam fœminæ hoc morbo conflictentur; cum enim hoc tempore vitæ similes mutationes in utrisque fiant, natura fœminis proprios modos dedit, quibus sanguinis æqualem cursum per corpus retineant, malaque ex ejus congestione ita arceant. Hæc igitur de ætate atque sexu: sed præter hæc, sunt qui huic morbo congenitam quasi proclivitatem habent, quæ proclivitas cognoscitur aut nimia copia fellis, aut inæquali ejus secretione. Iidem quoque corporis plenioris esse solent, fereque iracundi sunt, et tam tensam structuram fibræ musculosæ habent, ut primo aspectu validissimi robustissimique esse videantur.

At causæ quæ morbum protinus movent esse possunt vehementiores affectus animi, quales sunt terror, ira, tristitia, gaudium, cæteraque omnia quæ aliarum partium inflammationem vulgo excitant. Ex his præcipuæ sunt, subitæ mutationes tempestatis, frigus, maximeque si tum, cum corpus admodum calefactum est, homo frigidum aliquid bibit, vehemens exercitatio, cujuscunque generis hæc sit, et denique omnis intemperantia, sive in cibis sive in potionibus, præcipue vero in posterioribus, idque maxime si homo ardentes humores sibi nimiuscule indulgere solitus est; atque ita hujusmodi potiones, ex longa experientia, inter vulgatissimas validissimasque hujus morbi causas semper enumerantur. Ex his colligi potest quicquid corpus plurimum perturbat jecoris inflammationem, ex sanguinis congestione, movere posse; fortasseque omnes pari modo agunt. Dictum est ingentes calores aut cœli aut tempestatis hunc morbum sæpe movere; verum hoc dubium esse videtur, siquidem plures medici, qui summa experientia in hoc malo fruuntur, hanc vulgarem opinionem veram esse negant. Ex his Doctor Johnson est, de quo jam dixi; quique, loquens de hac re, insequentia verba habet: "Dr Saun-

DERS and some others have set down heat as an exciting cause of inflammation; but this was merely hypothesis, for, from attentive observation, I am persuaded that, even in tropical climates, nine cases out of ten of acute Hepatitis owe their immediate existence to the application of cold." Frigoris autem actionem hoc modo explicat: "A high range of temperature, by augmenting beyond the natural standard the cutaneous and biliary secretions, debilitates the vessels by which those secretions are carried on, and renders them more easily struck torpid on the application of cold; the consequence of which is a temporary obstruction to the free transmission of blood from the portal to the general circulation, the frequent repetition of which is the permanent source of Hepatic inflammation in hot climates." Quod si vero negamus vehementes calores causam excitantem morbi esse, eosdem certe inter prædisponentes causas enumerare debemus, ut qui corpus magis obnoxium frigori reddant; atque ita, non modo explicatio quam affert Dr JOHNSON verisimilis est, sed etiam constat auctoritas veterum scriptorum omniumque aliorum, qui affirmant morbum longe frequentiorem locis æstuosis esse.

DE INFLAMMATIONIS JECORIS CURATIONE.

Ventum est nunc ad hanc partem argumenti nostri, quæ plurimum curam studiumque medici desiderat, quæque ut quam maxime perfecta sit, solum, vel certe præcipuum consilium est reliquarum omnium partium notitiæ. Hic enim rationalis medicus ab audaci empirico maxime discernitur, atque hic demum quicquid prius aut in physiologia aut in pathologia perceperit utile esse incipit, potestque non raro hominem ab instante morte corripere. In hoc morbo tamen, tanquam in cæteris omnibus, ratio curandi quodammodo diversa esse debet, pro aut diversitate aut vehementia signorum, sic tamen, ut vulgaria remedia inflammationis nunquam non idonea sint. Ad hæc verum antequam confugimus, proderit fortasse ab initio protinus morbi vomitorium dedisse, quo corruptum fel ejiciatur. Summa autem curationis est in sanguinis missione, quæ quam maxima esse debet, pro natura corporis ægrique viribus. Sanguis autem mitti debet, si morbus gravis est, non modo a brachio, sed etiam a corrupto latere

per hirudines, quæ interdum maxime adjuvant. Quod si hoc modo igitur signa inflammatoria aliquatenus levata fuerint, proximum est alvum refrigerantibus purgantibus laxare, eandemque solutiorem similibus remediis usque tenere. Ad hæc utile erit quoque cursum sanguinis a partibus interioribus avertere, per vesicatoria setaceave aut iis similia; sin vero levior est morbus quam ut tam vehementia remedia postulet, possumus idem per medicamenta sudorifica efficere. His igitur similibusque remediis primum pugnandum est, quo morbus, si fieri potest, per resolutionem finiatur. Quod si vetustior morbus esse cœpit, idque ita ut metus sit instantis suppurationis, eadem remedia etiam audacius adhibenda sunt: sanguis iterum iterumque mittendus est, e brachio et ex parte, copia quam maxima quam hominis robora patiuntur. Dr Ballingall *, ibi ubi agit de sanguinis missione ad suppurationem arcendam, sequentia verba habet: "For this purpose I have employed bloodletting to a much larger extent than what the state of the pulse, the height of the symptoms, or the habit

---

* Treatise on Diseases of Hot Climates.

of the patient would seem to demand. Of this I can safely say, that I have never had occasion to repent, and that the more I practised it, the more confident I became in its use."

Quod ad purgantia vero pertinet, quæ in hoc morbo idonea sunt, summa controversio est; siquidem alii salina purgantia plurimum laudant, alii pariter vituperant. Hæc vero fortasse, quoties morbus lenis est, possunt simul cum sanguinis missione jecoris inflammationem veluti pulmonis, ex toto discutere; sin vero gravior est, ut inquit Johnson, opus est medicamento aliquo quod, non modo inflammationem minuat, verum etiam jecoris actionem corrigat, atque ita hominem a periculo longæ inflammationis liberet. Ad hæc præcipuum medicamentum hydrargyrum est; quod potest adhiberi forma submuriatis hydrargyri, vel vulgaris pilulæ hydrargyri, quæ commode conjungitur cum validiore aliquo medicamento, uti cum extracto colocynthidis, quo simul cum propria actione in jecur, alvum quoque recte solvat. In Hydrargyrum autem dando, par cura adhibenda est ut satis diu, et ne nimis diu, detur; siquidem par periculum ex utroque est: fortasse optimum est os leviter medicamento afficere, ejusque actionem diuturnam potius quam vehemen-

tem movere. Dictum est hydrargyrum alienum esse in corporibus strumosis; siquis igitur metus ab eo est, possumus in vicem ejus dare acidum nitricum, ex magna copia aquæ vel mucilaginis, quod fortasse pariter prodest in habitu corporis mutando, atque in jecoris actione corrigendo.

Hæc igitur præcipua remedia sunt (simul cum summa quiete et abstinentia, quæ in omnibus acutis inflammationibus imprimis necessariæ sunt) quibus inflammatio jecinoris maxime discutitur. Quod si vero jecur indurescere, vel morbus longam suam formam induere cœpit, alia curatione opus est. In priori exemplo, secundum Doctorem Pemberton, nullum medicamentum magis quam Taraxacum valet; cujus extractum ad drachmam dimidiam quotidie datur. In posteriore, idonea sunt setacea fonticulique et crebra vesicatoria, simul cum hydrargyro acidove nitrico, et omnibus partibus ejus curationis qua sanitas, cum ventriculi intestinorumque, tum universi corporis, integra servatur. Has singulas curiose proponere supervacuum esse videtur, neque huic loco idoneum; siquidem de Acuta solum Inflammatione loqui statueram, ejusque curationem, quantum potui, jam protuli.

FINIS.